



MELISSA

FOLIA LATINA SECUNDO QUOQUE MENSE EDITA

Editrix responsalis : Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS
Tel: 734 55 42.

EXEMPLUM IMITABILE

Illud seminarium Latinum Vestendense multimodis eximium fuit. Imprimis, cum per totam fere aestatem habuissemus tempestatem malam frigidamque, septimana seminarii sole mire splendenti fructi sumus. Participes iterum multis sermonibus patriis utebantur, uno tamen amplius quam praeterito anno, cum interesset Johannes-Albertus Moreno Tortuero, Hispanus alumnus, quem una invitaverant MELISSA et SOCIETAS LATINA.


Quinque universitatis professores seminarium participaverunt; Johannes-Paulus Bauer, iurisconsultus Saraviensis, Alvinus Dobsevage, philologus Americanus, Andreas Fritsch, paedagogus Berolinensis, Christianus Helfer, sociologus Saraviensis, et Valtherus Hoeres, philosophus Francofordiensis. Inter participes septem erant Societatis Latinae sodales. In magna cinematographeii exedra aedium "Zon en Zee" Rudentis spectaculum magnetoscopio projectorio optime monstratum est.

Omnium quidem sententia, culmen seminarii fuit lustratio Brugensis. Mystagogus enim, Paulus Elsen, sodalis societatis cui nomen "Westvlaamse Gidsenkring" (Circulus mystagogorum Flandriae occidentalis), nobis per totum diem mirabilia Brugensia, praesertim aedes Hanseaticas, demonstravit maximo entusiasmo quin etiam mira facundia Latina. Quamquam antea nunquam Latine locutus erat, provocationem nostram sustinere voluit. Rem suam diligenter praeparaverat, etiam scrutando famosum Sanderi librum, cui titulus "Flandria Illustrata". Per lustrationem, quandoque ei deerat quoddam vocabulum latinitatis modernae, P.Caelestis Eichenseer, nostri gregis moderator, eum admovebat; sic celeriter factum est ut alter alteri maxime placeret. Quod miraculum Latinum non tantum mirati sunt seminarii participes, sed etiam ceteri Brugarum lustratores qui gregi nostro occurrebant.

Cum Paulus Elsen multis exemplo esse possit, MELISSA pro lectoribus ei nonnullas quaestiones posuit, quibus amabiliter respondit:



Lustratio Brugensis:
a sinistra ad dextram stant
Paulus ELSSEN, mystagogus,
P.Caelestis Eichenseer, praeses,
atque Johannes-Paulus BAUER,
vicepraeses Societatis Latinae



-Qualia studia perfecisti? Licentiam Philologiae classicae obtinui, non in quadam universitate, sed in Centrali Examinum Consilio in Educationis Administratione Bruxellensi; aggregationem superioris institutionis secundariae in Universitate Gandavensi; baccalaureatum philosophiae Lovanii; diploma artis cinematographicae Bruxellis.

-Qua in schola nunc doces? In Collegio Brugensi Sancti Ludovici doceo linguam Latinam et Graecam atque cultum civilem Graecum in ultima classe sectionis Latinae-Graecae, Latinae-Mathematicae et Latinae-Scientificae.

-Fungerisne munere inspectoris? Fungor in omnibus scholis catholicis dioecesis Brugensis.

-Quomodo fit ut etiam mystagogus sis? Mystagogus Circuli Flandriae Occidentalis (Westvlaamse Gidsenkring) receptus sum mense Martio huius anni. Antea compluries mystagogus pro quadam officina periegetica Bruxellensi fui in Graecia, Creta aliisque insulis, in magna Graecia atque Romae. Quamquam non ex Brugis, ^{re-bantia} sed ex Brabantia oriundus sum, Brugae tamen civitas factae sunt meae praedilectionis. Meus antiqui cultus civilis amor non impedivit quominus litteris artibusque aliarum aetatum incumberem. E contrario illa studia classica me semper impulerunt ad res humanas melius penitusque cognoscendas atque intellegendas. Quare sodalis Mystagorum Circuli Flandriae Occidentalis fieri cupiebam. Ab initio m. Ianuarii anni 1983i usque ad finem m. Ianuarii anni 1984i, ^{quo} quoque Saturni die permultisque Solis diebus otium degi in lectionibus audiendis atque in rebus spectabilibus Brugarum, Dammae portusque "Zeebrugge" invisendis. Non solum historia Brugarum et Flandriae earumque monumentorum, sed etiam gastronomia, "flora et fauna", quae dicuntur, oeconomia, geologia et geographia Flandriae occidentalis, incolarum mores, instituta politica et

religiosa mihi addiscenda fuerunt. Binis scriptis binisque oralibus examinibus superatis, officiaro Administrationis Educationis inspectante, mystagogus receptus sum. "Non est sine pulvere palma!" (Horatius)


^{mihi} -Quid censes de nostra insolita Brugarum lustratione? Erat pro me provocatio et valde mihi placuit. Maxime gavisus sum quod mihi occasio data est latinitatis vivae cultores conveniendi, cum propter eundem amorem linguae Latinae (et Graecae) splendorisque rerum antiquarum; tum propter eorum amabilitatem humanitatemque exquisitam. Libenter iterum vester mystagogus ero m. Augusto anni 1985i.

PREITAG, 21. SEPTEMBER 1984 HANNOVERSCHE ALLGEMEINE ZEITUNG

Latein, wenn nichts mehr geht

Eine alte Sprache soll neu belebt werden

Das Schlüsselwort fiel am Abend eines strapaziösen Tages. Eine „provocatio“, eine Herausforderung sei das Ganze gewesen. Und Herausforderungen pflege er sich zu stellen. Der das einer Besuchergruppe in Brugge zum Abschied auf den Weg gab.



^{MM} Quattuor diebus etiam nostro seminario interfuit lustrationemque Brugensem participavit Domina Irmtrudis Rippel-Manss. diurnaria pro diario "Hannoversche Allgemeine" missa. Quae rem nostram valde mirata est et amavit. Aliquid de rebus gestis in diario amicissime scripsit, ut iam e titulo patet: "Latinum. spes in adversis rebus".

Sic seminarium ad finem pervenit sub duplici signo spei et exempli imitabilis

Gaius Licoppe

QUID DE SEMINARIO VENSTENDENSI II^o senserit Johannes - Albertus MORENO - TORTUERO

^{MM} Seminario Vestendensi peracto, tempus est pauca scribendi de participibus, quomodo gestum sit, quibus de rebus tractatum sit, denique utrum utile an inutile mihi visum sit. Necesse est confitear me nunquam antea tali seminario interfuisse, quare fortasse mihi magis quam aliis insolitum visum est; praeterea, ego in Universitate Matritensi linguae Latinae studeo; qua de causa fortasse aliter sensi ac si tantum animi causa eam coluisssem. ^{Colerem fuisse}

^{MM} Omnem institutionem moderavit Pater Eichenseer, adeo omnibus bene notus ut vix aliquid novi addere possim. Sub specie sermonis multa vocabula et verborum structuras cottidie monstrabat; praeterea, institutum tempus erat ad ea discenda: matutino tempore, vocabula, vespertino contra res grammaticales docebat. Plerumque etiam sermocinatio a proposito deerrabat, fortasse quod egestas methodi erat. Sed mihi melius hoc videtur esse, quia, meo sensu, vocabula facilius discuntur loquendo et sermocinando. Res grammaticales etiam mihi tantum videntur explanandae. ^{MM} cum veris difficultatibus occurrimus.

In seminario facultas loquendi omnibus data est; evenit ut magnae disputationes gignerentur.

Praeterea, Pater Eichenseer, ut si sophistes fuisset, cum singulis disputabat et unumquemque ad certamen loquendi ducebat.

Ergo, sermo Latinus ^{utillimus} [utillimus] fuit, non solum in seminario, sed etiam foris ad loquendum cum sodalibus; intererant enim Belgae, Germani, Francogalli, etc., quibus tantum lingua Latina communis erat. Participes multi et varii erant et non solum, sicut ego putabam, professores alumnique linguae Latinae, sed etiam viri mulieresque qui ei non studebant, sed tantum voluptatis causa participabant. Locuti sumus de multis rebus velut de moribus, de institutione in scholis, etc. fortasse deerant themata aliqua quae mihi videntur etiam utilia et magni momenti, sicut res politicae, oeconomicae, de bellis, de comitiis, id est de quibus in orbe toto cottidie agitur.

Sed una res penitus deerat: exercitationes scriptae. Ego puto, nisi fortasse errarem, multo melio-

^{MM} superlativus ('utillimus') est forma rara et extraordinaria

rem institutionem esse si compleatur scriptis exercitationibus; nam optimae sunt et ad vocabula discenda et ad regulas exercendas. ^{Utilissimae} sunt haec exercitationes propterea quod sermo Latinus facile intelligitur; si aliquis tibi dicit: "Hodie venit in Roma cum meo patre", tu intellegere potes id quod dicere vult quamquam non recte exprimit. Ergo scribere etiam ne-

cessarium est ad recte discendum.

Ad summam, seminarium perutile mihi visum est; nam ego nunc multo melius textus Latinos intellegere possum; etiam cum hominibus extraneis Latine loqui possum. Utinam idem fiat in studiorum universitatibus, ut studentes inter se Latine loqui possint!

scriptio per totum annum fieri potest

QUOMODO COLATUR LINGUA LATINA IN ZAIRE

Seminario Vestendensi II° interfuit Frater Marista Linus Soriani, Italus, qui per quattuordecim annos in Zaire (quae medio Africae gremio continetur) linguam Latinam sedulissime docuit. Aliquid de regione ubi docebat atque de eius institutione Latina scire voluit MELISSA, pro qua Lacinius noster, etiam seminarii particeps, fratrem Linum interrogare dignatus est. Ille libenter comiterque respondit:

UBI LINGUAM LATINAM DOCEBAS? In oppido Kindu provinciae Bukavu, quae in media parte Zairitanorum finium sita est. Scholarum sedes est, ^{ubi} ex locis longinquis multi conveniunt. Ibi sunt septem vel octo scholae superiores praeter aliquot alias scholas.

Per vicens quinas horas unaquaque septimana in quattuor classibus docebam, in quibus 40, 30, 25 et 25 discipuli linguas Latinam et Francogallicam, praeter sermonem patrium, ^{Syailicum}, discunt.

ESTNE REGIO SALUBRIS? Regio est ^{humida}, sed insalubris dici non potest. Calor est plerumque 30 vel 35 graduum, sed tolerabilis.

CUR DISCIPULI TUI LINGUAM LATINAM DISCUNT? Aliquot ad in clericorum seminarium veniendum, plerique ad humanitatis atque litterarum studiis se dandum. In nostra schola, litterarum (i.e. linguae Latinae et philosophiae) baccalaureatum adipiscuntur.

SUNTNE MAXIMO HONORE APUD ALIARUM CLASSIUM DISCIPULOS? Non maximo.

VERSANTURNE IN PERICULO QUI EX EUROPA IN ILLAM REGIONEM VENIUNT? Postquam Zaire suis legibus uti potuit, aliquot extranei necati sunt: 13 Itali Nationum Coniunctarum in oppido Kindu occisi, et 21 patres Spiritus Sancti in urbe Congolo. Iuxta aedes nostras sunt duo sepulcra fratrum Maristarum "eventuum" tempore occisorum, sed nunc omnia sunt quietissima.

QUALIS EST INCOLARUM VIVENDI MODUS? Eruditiones sunt mediocres. Inter centenos incolas, octogeni litterarum elementis imbuuntur: linguam ^{Syailicam} legere scribereque et numerare possunt. Deni aut viceni in litterarum ludo linguam Francogallicam discunt. Quini in litterarum universitate discere pergunt. Bini codicillos impetrant.

Paene omnes egentiores sunt. Mulieres praesertim in agris laborant, rastris sarculisque tantum utentes. Viri et casas aedificant et apud peregrinos coqui laborant et venantur; venationem autem ad mercatum deferunt. Pecunia accepta, qui paulo ditiores sunt feminam alteram et tertiam ducunt ut in agris laborent.

Vescuntur "manioco", pomis terrestribus, oryza, multisque pomis. Plerique semel in mense aut ^{quibus} carnem edunt. Olim unus ex discipulis meis gaudebat quod die Christi natali in mensa erant gallina et cervesia. Dicebat se epulatum esse.

Sunt medici ex Europa et indigenae, sed medicinae deficiunt et nosocomia lectis egent. Victus cotidianus aegris eo afferendus est.

SUNTNE IBI MAGNAE FABRICAE? Tantum in magnis urbibus. Alibi, saponis et cervesiae etc. parvae officinae inveniuntur, sed non diu permanent. Sunt ^{quosdam} artifices, ut vestifices, pistores, calcearii...

QUAMDIU PLERIQUE VIVUNT? Plerique non diutius quam 40 vel 45 annos vivunt. Discipuli mei ^{qui} putabant fieri posse ut sexaginta annos viverent. Sexaginta annos natus sum, ut putant, quia alio genere natus sum.

Plurimi infantes pereunt quod victus huic aetati aptus ^{deficit}. Adulti, qui corpus non curent et aquam ^{contaminatam} bibant, aut ^{verminant}, aut in palustrem febrim incidunt, aut soporis morbo laborant. Seniores articulorum dolore et alcoholismo laborant: cervesiam a seipsis confectam bibunt.

Incolae sunt iuvenes. Eorum maxima pars nondum viginti annos nati sunt.

SUNTNE MULTI EVANGELIZATI? Post saeculum unum per quod eis doctrina christiana translata est, plurimi sacra frequentant. In ampla episcopali ecclesia tres missae Dominico die celebrantur et saepe foris celebrandae sunt; sed nescio an eorum fides sit magna.

Novae sectae apparent, in primis secta quae dicitur Francogallice "Les Témoins de Jéhovah".

Mahometani quoque maximum studium ad suam religionem convertendi exhibent, id quod impellit incolas ad plures uxores ducendas. Multae privatae islamicae scholae, large persolvendo, magistros conscribunt. Uno vel duobus annis exeuntibus, invitantur ut abeant nisi islamici fiant. Aliquot magistri pelliciuntur. Aliquot, quamvis pauperes, christiani manere malunt et nonnulli eorum sunt vere sancti homines.

QUIS, TE ABSENTE, LINGUAM LATINAM DOCET? Quattuor discipulos ut meis partibus fungerentur praeparaveram. Inter quos duo, me absente, docent.

PLURIMAS GRATIAS TIBI AGO, FRATER LINE, ET AD MULTOS ANNOS! Tibi quoque, humanissime Lacini.

LACINIUS Hannoniae Montanus

+ <artes Gelivae>

sedulissime: repetitivas vocat, scribendum erat: impigerissime


haec praepositiones ne iuxta ponantur

FERIARUM LATINARUM OLBIENSIIUM

SUMMA

DE PROVINCIA ROMANA

A Clemente Julio MYSCA



FERIAE LATINAE OLBIENSES

Anno 1984.

Patricius Bougy, praeses societatis Cadomensium (vulgo "Caen" in Francogallia) Latine docentium, Feras Latinas Olbienses participavit. Antea numquam Latinitatis Vivae conventui interfuerat. Quarum feriarum relationem pro MELISSA libens conscripsit:

A die 25^o m. Augusti usque ad diem 1^{um} m. Septembris 1984, FERIAE LATINAE auspiciis operis fundati c.n. LATINITAS sunt factae, P. Suitberto SIEDL, in Universitate Iuvavensi professore, moderante, Domina C. Ronchoud, quae in lyceeo Olbiensi (Hyères) docet, et Domino Clemente Desessard, machinatore IRG, adiuvantibus.

Ex omnibus regionibus Europae, etiam septentrionalis Americae, et iuniores et seniores in Castellam, villam pulcherrimam prope Telonem Martium (Toulon) sitam, inter se convenerunt ut Latine loquerentur. Itaque, bis in die, non solum Pater Suitbertus, qui cum alacritate acumineque maximo sessiones plenarias moderatus est, sed etiam nonnulli participes orationes habuerunt. Exempli gratia, Pater Suitbertus, quamquam libenter cavillabatur, graviter tamen neidis versus interpretatus est; professor Manino, qui Mediolani docet, eiusque "discipulus" Aetius Cerruti, machinator emeritus, tabulam Peutingerianam proposuerunt descripseruntque; Albinus Dobsevage, Americanus, Guidoque Angelino, Italus, quomodo linguam Latinam docerent exposuerunt; Clemens Desessard lautum libellum explicavit, quem de variis Provinciae aspectibus pro participibus conscripserat.

Quin etiam, post prandium pauci globi constituti sunt ut singuli id quod placeret facere possent. Alii canebant, alii textus interpretabantur, alii... ad litus autoraedatatum ibant! *† vecti*

Omnes vero Provinciam paululum adspicere poterunt. Veneris enim die, Dominus Desessard (qui Mysca

Latine appellatur) per pulcherrimos montes prope Telonem nos duxit. Saxa ruinis similia (Acus Vallebelleae appellata) praecipue admirati sumus; deinde elephantum ab Hannibale neglectum mirantes videre potuimus, qui saeculis in lapidis naturam figuratus est! Qua ratione in tergum eius sine timore ascendimus.

Programmata adivisifica etiam nobis proposita sunt. Ita comaediam Plautinam, cuius nomen est Rudens arti cinematographicae aptam vidimus. Quam plerique maximi aestimaverunt. *-afam*

Quamquam multa facta sunt, nonnulli nostrum moleste tulerunt omnes actuositates, quae in programme inscriptae erant, fieri non potuisse, id est praecipue "Tironum exercitatio", "Seniorum exercitatio", "Nova vocabula discenda secundum themata varia", "Ludi scaenici". Moderatores enim non solum deerant, sed tempus, rebus, praeter missam et sextam et officium vespertinum et completorium, constituta hora raro advenientibus!

Participum tamen maior pars maxime gaudebat quod in Castellam erant. Nam, non solum in horto platanis opacato ambulare solebant, sed in agris vite satis; non solum silentio locorum fruebantur, sed cum recentibus amicis tempus agebant iucundissimum.

Raro quidem homines e diversis locis Europae etiam Americae oriundi, et iuvenes et senes, et machinatores et professores, et studentes et iurisconsulti, et architecti et medici, et monachi et laici, in eodem loco eadem lingua (quae nulli est, id est omnibus) utentes inveniri possunt. Itaque illae feriae omnibus res maxima fuerunt.

Patricius BOUGY Cadomensis



In villa "La Castille" P. Suitbertus SIEDL loquitur cum Domina Elisabeth THOSS, Luxemburgensi.

Claudius Gerard, qui linguam Latinam docet in meridionali Belgicae parte, anno 1983° seminario Vestendensi et anno 1984° Feriis Latinis Olbiensibus interfuit. Pro MELISSAE lectoribus comparationem alterius cum altero libens conscripsit:

Opus fundatum civitatis Vaticanae "LATINITAS" exeunte mense Augusto Olbiae "Ferias Latinas" paravit et instituit. Quas ferias seminario Vestendensi superioris anni conabor componere, quippe qui utrique sessioni interfuerim.

Mihi videtur recta via si primum de rebus dissimilibus loquor. Pater Suitbertus, moderator Feriarum, non pronuntiatione restituta utebatur, sed Italica vel ecclesiastica, id quod re vera non multum prodest.

Lectiones non multum de rebus cottidianis et hodiernis tractabant; orator magis et quidem pulcherrime de modo litteras Latinas docendi vel de quaestionibus quasi philosophicis verba faciebat; quidam participes pulchre et docte de archaeologia et aliis scientiis disseruerunt, sed plerique participes vix quicquam dicebant.

Fuere tamen tironum exercitationes, quibus ipse non interfui, quas ~~veris~~ tirones multum laudabant.

Opus Plauti "Rudens" in pelliculam imaginariam

^{exhibetam} translatum nobis proiectum est, campum novum latinitati vivae aperiens.

Liturgia Latine celebrata atque cantata etiam magna occasio Latine vivendi fuit.

Si ex omnibus his actis ducimus rationem Feriarum Olbiensium, videmus eam effecisse ut per occupationes varias cuique pro sua scientia facultas praeberetur linguae Latinae audiendae, studendae, cantandae, sed Latine ^{spontanea} suā sponte loqui fiebat tantum in epulando vel in ambulando vel cum iter per Telonenses montes silvasque fecimus.

Vestendae contra, maxime tendebatur ad linguam Latinam de rebus hodiernis exercendam; pro sua scientia quisque loquebatur, moderatore iuvante et corrigente, idque omnibus proderat; ita fiebat ut participes celerius in sermone Latino exercendo ^{progre-} derentur.

Utraque tamen sessio, ut ad similia veniam, iucunda amoenaque fuit, quod "varietas delectat" et praesertim quod omnes participes tam laeti, tam amabiles et ^{tanta} tanta bonae voluntatis fuerunt in communi linguae Latinae amore, impigre laborantibus qui utensilia cuique sessioni providerant.

Utinam ergo fiant multae aliae sessiones unius alteriusve rationis!

Claudius GERARD

NUNTIA EX ORBE LATINO

I EPISTULA GRATISSIMA EX POLONIA

Orbis Latinus quam late pateat percipere possu-
mus ex epistula Domini Benni TISSLER :

Benni Tisser
O. Grunwaldzkie 9/40
11-700 Mragowo
woj. Olstyn
Polonia

- Omis

Editoribus Honoratissimis Salutem!

Ecce linguam Latinam amantibus vivam in conspectum venit novum periodicum, quod inscribitur "Melissa".

Adhuc iam numeros foliorum tres ex magnanimitate vestra accepi, pro quibus vobis gratias ago maximas.

Revera, nescio quibus verbis vobis, humanissimi Editores, pro tanto labore vestro atque opere gratiam referre?

Est enim opinio mea ac mihi penitus persuasum est cultores huius praeclari sermonis nulla mercede merita vestra metiri posse. Vehementer gaudemus, quod etiam nostris temporibus sunt viri mulieresque, qui linguam istam in magno honore habeant.

Libenter pecuniam pro subnotatione periodicorum mittere velim; tamen id nullo modo fieri potest, quoniam pecuniam in nostra regione in alias terras mittere vetatur.

Quae cum ita sint, alio modo e. g. per libros idoneos utilesque satisfacere mihi in animo est, nam nihil gratuito habere cupio.

Nunc vero vobis ex animo opto, ut "Melissa" magis magisque numero crescat atque mentes lectorum amabilium excolat in diversis terris et suavitate sua delectet. Valet Amici!

Benni Tisser
- - - Benno Tisser

Mragoviae, die 3-a Octobris 1984.

II EX LUXEMBURGO

Modo litteras accepimus, missas a Domina Elisabetha THOSS, Luxemburgensis, quae Feriis Latinis Olbiensibus interfuit; quibus litteris comperimus in Magno Ducatu Luxemburgensi societatem linguae Latinae servandae exstare, cui nomen: PRO LATINITATE (10, rue Lemire, 1927 Luxembourg).


III TRISTE NUNTIIUM DE "VOCE EUROPAE"

In superiore MELISSAE numero nuntiaveramus mense Ianuario huius anni Massiliae conditam esse societatem Latino sermoni promovendo. Cum Domino Claudio SOUBEYRAND, societatis conditore ac praeside, commercium epistulare iunxeramus et illum Feriis Olbiensibus convenire debebamus; ille tamen die constituto non advenit. Modo comperimus Claudium Soubeyrand inopinanter mortuum esse; unde fit ut eius societas nunc sit in incerto.

IV LUDI LATINI II .

Hac in pagina vobis proponimus exemplar folii nuntii praeconique "LUDORUM LATINORUM", quos instituit Valahfridus STROH, professor Monacensis.

Ex nuntiis recentioribus (10-9-84), sub titulo "Internationales Latein Festival" Theodisce scriptis, addenda sunt haec: officialis ludorum lingua est lingua Latina. Optima ergo erit occasio Latine loquendi multis cum participibus; nam primis Ludis Latinis iam intererant circiter ducenti participes. Praeter concertus musicos, fabulas scaenicas, spectacula cinematographica et pantomimica, fient lustrationes urbis et museorum. Si quis confecerit quoddam artificiosum vel iucundum adiumentum ad linguam Latinam docendam, fieri poterit ut Ludis Latinis exhibeatur. De qua re proponenda ad Professorem Stroh scribat. Etiam disputabitur de Romanorum arte coquinaria. In fine, Saturni die, fiet magna publica saltatio...



QVAE BIS DENA FUIT PER SAECULA VINDELICORVM
VRBS AVGVSTA POTENS AD SVA FESTA VOCAT
FILIVS HIC VENERIS VOS CARMINA BLANDA DOCEBIT
COGNATVM AVGVSTVM NAM COLIT IPSE DEVS



Valahfridus Stroh grammaticus Monacensis Latini sermonis amatoribus sal.

Ad celebrandum annum natalem urbis

AVGVSTAE VINDELICORVM

nunc Augsburg vocatae,
quae abhinc duo milia annorum imperatore Augusto condita est,
ea in urbe patrono Ioanne Breuer burgimagistro maiore iterum edentur

LVDI LATINI

a die 8 ad diem 14 m. Apr. a. MCMLXXXV.
ad hos LVDOS, quibus ipse praefero, vos omnes omni ex orbe terrarum convoco.

Ibi qualia futura sunt? similia eis, quae acta sunt a. 1983 LVDIS Elvacensibus, sed nunc ampliora omnia et pro urbis dignitate augustiora. magnae erunt acroases musicae, quibus opera Iani Novák musici Latinissimi aliorumque exhibebuntur. his addentur fabulae scaenicae, spectacula cinematographica et pantomimica. habebuntur orationes, declamabuntur carmina. vobis ipsis copia dabitur Latine disputandi, cantandi, saltandi, iocandi, urbem pulcherrimam visitandi. libellus, qui post duo fere menses divulgabitur, omnium rerum indicem praebabit easque per tempora describet. sed iam nunc vos hortor ut litteris missis vos LVDIS interfuturos esse indicetis.

Pernoctare poteritis in domo Sancti Valrici (Haus St. Ulrich), quae pro singulis noctibus, ientaculis, prandiis, si in unius lecti conclavi dormietis, binas et sexagenas marcas (62 DM) exigit; si duorum lectorum conclave mavultis, ibi septenae et quinquagenae marcae (57 DM) solvendae erunt. minore pretio (9.30 DM) in deversorio iuventutis (Jugendherberge) dormietis et ientabitis. praesto sunt etiam alia deversoria publica. praeterea LVDORVM sodalibus persolvendae sunt quinquagenae marcae (50 DM) exceptis gymnasiolorum et universitatum scholaribus, qui tricenae marcas (30 DM) pendunt. pro quibus liber accessus vobis erit ad omnes acroases atque spectacula. hanc igitur summam vos rogo ut tunc mittatis, cum affuturos vos esse per litteras promittetis. transcribite eam huc:

Postgirokonto München 5191-800, W. Stroh LVDI LATINI.

Epistulas autem vel schedas, quibus nomina profiteamini, mittite ad me: Prof. Dr. Wilfried Stroh, Institut für Klassische Philologie der Universität München, Geschwister-Scholl-Platz 1, D-8000 München 22. si quisbusdam de rebus telephonice certiores fieri volueritis, appellate Evam Mariam Leikam amanuensem, quae diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris ab hora II ad horam 12 a.m. sub hoc numero 089/21803421 respondebit.

Sat nugarum. restat ut salutem vobis dicam Iani Novák nomine, quem nunc valetudo avocata LVDIS praeparandis. vos votis vocate Musas Amoremque magistrum et venite ad vestros LVDOS LATINOS!

Scr. Monachi 24. 7. 1984

V EX HISPANIA

Amicus noster Eustasius SANCHEZ VILLARAN, medicus cardiologus Matritensis, perlecto commentario de Peregrinatione Compostellana in 3° numero Melissae, ad nos benigne addenda inserenda misit:
DE OSSIBUS SANCTI IACOBI.

Ab initio in Hispania tantum de praedicatione septem virorum a sancto Petro missorum ac de eorum ossibus sepulcrisque permulta testimonia inveniuntur. Visigothi hos septem viros solos semper coluerunt, sic in principio de sancto Iacobo Maior ne verbum quidem in scriptis saltem proferebatur; denique sanctus Iacobus a.d.III Kalendas Ianuarias celebrari incepit. Contrario modo Recemundus, episcopus Illiberitanus, praetermittens quae de sepulcro sint suo in Calendario(961), a.d.VIII Kal. Iul. festum sancti Iacobi Maioris esse simplicissimo modo enuntiat.

Romae, unde ad Occidentem transit notitia, festum illius sancti tantum a.d.Kal.Iul. assignatur ac nunquam alia die celebratum est, licet a diebus Paschae anni 43/44(Act.Apostol. 12,1-2), quibus ab Herode rege interfectus sit, magnopere distat; de quadam translatione quondam facta nihil invenitur in veteri historia. Plerique difficile acceptandam esse ossorum translationem ex Oriente usque ad Gallaeciam confitentur. Vestigia temporum sequendo, nullum sepulcrum praeter Compostellanum reperi potest. Sepulcrum Gallaecum ^{tr. calvaria} saeculi I includit servatque.

Post silentium de apostoli reliquiis in Hispania eorum primi meminerunt, ut factum fere ab omnibus notum: Martyrologium Flori(808) et Adonis(860); quidam regis Ildefonsi II Casti titulus anni 829; in nonnullis actis regum Asturiarum saeculi IX; in documentis regis Ildefonsi III Magni annorum 867,885,886,893, 895,899. Extra Hispaniam in quadam epistula Leonis III tributa quae circa dies sepulcri inventionis (circa 814) scripta est.

Ildefonsus II Castus (792-842), in cuius regni diebus sepulcrum inventum est, ibi quoddam sacellum struxit. Postea Ildefonsus III Magnus(866-910) refecit amplificavitque. Anno 997, ab Almanzor, Maurorum duce, omnino deletum est. Saeculo XII incipiente, Gelmirez, archiepiscopus loci, ^{tr. calvaria} saeculi I in quadam capsula inclusit confirmavitque; unum e tribus (nescitur selectionis causa) in fornice ossea quoddam foramen praebet, quod in cathedralem Pistoriensem pectore toto misit ibique hucusque manet fidelibusque ostenditur. Archiepiscopus loci, Didacus Pelagius (v. Pelaez) primum saxum cathedralis hodiernae supra talium ossorum capsam lapideam caerimonia sollempni imposuit. Chronicon Compostellanum ad annum 1100 scriptum iam ut aliquid bene notum hanc partem Campum Stellae denominat, prout tunc agnoscebatur.

Anno 1954 iterum capsula aperta est et quae Galmirez olim includerat et calvarium cum foramine in quo frustum Pistoriense bene coaptatur iterum invenitur et confirmatur; post haec, capsula clauditur, quod scriptis confirmatur. Ante hunc saeculum, praecedente iam declinante, Leo XIII bulla, cui initium "Deus

omnipotens" reliquias supradictas sancti Iacobi et duorum eius discipulorum esse declaravit; nemo tamen his assertionibus credere debet; nam tuta doctrina non est. Aliquoties rigor historicus supra traditionem haud antiquam, serotinam ergo, strui non potest, saltem in praesentia haec solido fundamento caret, dum aliud asserens ne adiungatur.

Saeculo XVI permagna controversia lisque de hac re surrexit: negabant ossa apostoli discipulorumque esse praesertim cardinalis Caesar Baronius(1607 defunctus) et sanctus Robertus Bellarminus(1621 defunctus), doctor ecclesia, ambo praestantissimi viri.

Et aliud ossa apostoli in Hispania esse et aliud in Hispania praedicasse:

DE EIUS PRAEDICATIONE IN HISPANIA.

Ad Romanos 15,20: "Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem"; tunc quoque sanctus Paulus de itinere in Hispaniam faciendo loquebatur; ergo, si quaestio ne devietur, praedicationem sancti Iacobi ad Occidentem imperii nescit. Hanc epistulam anno 58 conscriptam esse ab omnibus accipitur; sancto Iacobo mortuo, neminem apostolorum in Hispaniam ^{adhuc} venisse deducitur. Multa gesta Hispania suis in scriptis Clemens Aurelius Prudentius(348-post 405) enarrans nullam sancti Iacobi praedicationem novit. Paulus Orosius(natus 390), sancti Augustini discipulus, consilio magistri suadentis, Historiarum adversus paganos libros VII anno 417 scripsit, ubi nihil praedicationis apostoli adiunxit. Neque sanctus Martinus Dumiensis vel Bracarensis(580 defunctus), qui annis 561-573 complura Hispanica descriperat, aliquid animadvertit. Patres Visigothici eam nesciunt. Sanctus Gregorius Turonensis(538-594), res Hispanicas bene sciens atque in suis scriptis longe lateque enarrans, talem praedicationem omisit.

Secus sanctum Adelelmum(639-709) monasterii Malmesbury abbatem, auctorem Elogii virginitatis, praedicationem sancti Iacobi apostoli in Hispania fuisse suo in opere commentatur. Sanctus Beda Venerabilis monachus, Ecclesiae doctor, in sua Historia ecclesiastica Anglorum ante 735 scripta hanc praedicationem affert. In Catalogo Apostolico saeculi VIII etiam invenitur, sed aliquibus videtur esse additamentum posterioris temporis.

In Hispania traditio praedicationis apostoli saltem scripta cum Ramiro I(842-850) eiusque sancto Iacobo voto et Ordonio I(850-866) apparuit, magno cum splendore huic rei favente proelio apud Clavijo(844). Medio XIII saeculo, strenue surrexerunt homines qui contra illam traditionem primatum ecclesiae Toletanae defendebant. Quidam hymnus Mozarabicus, quo praedictio sancti apostoli in Hispania asseritur, per annos 783-788 apparuit. In missa apostoli ne verbum quidem de eius praedicatione legitur. Beatus, Asturiarum abbas(de Liébana)(saeculi VIII), eam inseruit contra adoptionismi haereses Elipandum Toletanum et Felicem Urgellensem in suo Commentario ad Apocalypsim.

De quibus cunctis deduci potest traditionem sancti Iacobi Maioris cum Hispania serotinam esse, id est ortam cum caelestis patronus in bello contra Mauros selectus sit.

Eustasius SANCHEZ F.VILLARAN

DE LATINIS POETIS AMERICANIS

Pauci fortasse sciunt litteras Latinas etiam in America septentrionali floruisse. Hoc anno in lucem editus est Chicago liber, cui titulus "EARLY AMERICAN LATIN VERSE 1625-1825 (Bolchazy-Carducci Publishers); cuius libri introductionem notasque conscripsit Leo M. Kaiser, professor Chicagiensis.

Theodoricus Sacré, philologus Lovaniensis, quid de hoc libro anthologico sentiret libens pro MELISSAE lectoribus conscribere dignatus est. Ad nos scripsit haec: "Libro iterum lecto, litteris aliqua mandavi, hoc tantum usus consilio ut quae eo volumine continerentur, quomodo grassatus esset editor, virtutes denique ac vitia illius poesis generatim atque univarse tractarem.

Ac primum quidem illud mentione dignum esse iudicavi, quod Leo noster, cuius nomen in fronte libri claret, colligendis, describendis, edendis, annotandis poetarum Americanorum versibus amplius viginti annos impendit (1). America enim septentrionalis quasi ingens quaedam erat fodina, metallorum uberrima abstrusorum, quam Leo Kaiser primus reservavit; quot igitur ille, thesauros Latinos dum effodere conatur, adisse bibliothecas, quot eruisse ephemerides, quot inspexisse commentarios putandus est ut quicquid erat versuum Latinorum unum in album referret? (2) His ita computatis, poemata circiter CCCL ex aurifodina ad hunc diem prodierunt, exiguus sane numerus, e quo tamen, ni totus fallor, quid poetae valuerint licet colligere.

Quod ii tantum versificatores sunt allati, qui inde ab anno 1625 usque ad annum 1825 floruerunt, non est cur mirere; eo enim duorum saeculorum spatio poeticis ingeniis abundasse videtur septentrionalis America. Nec vero nescitis quot nostra etiam aetate poetae Latini in eis regionibus suppeditent - nam Iosephum Tusiani et Iohannem Alexandrum Gaertner novistis (3) -; quos editori, cum vulgo pernotuissent (4), nullo detrimento missos facere licuit.

Florilegus editor e CL poetis sexaginta fortasse libavit carminibus illustrandos. Huc accedit quod eorum vitas, ubicumque fieri potuit, adumbravit (rem dico arduam!). Quorum mihi nomina legendo percurrenti Indus etiam, Eleazar nomine (fl. 1678), venit obviam, adulescens rei metricae satis peritus. Complura vero carmina aut incertis auctoribus vulgata sunt aut, cum a vetustate pulverulenta codicum manu scriptorum repetita essent et nunc primum ederentur, redintegrarentur oportuit. Hac igitur in re Leo Kaiser hic illic de licentiis metricis monendo, alia emendando, alia supplendo philologum Latine doctissimum sese praestitit. Sunt tamen aliqua menda quae nostrum fefellerunt; praeterea de coniecturis et emendationibus nonnullis non mihi cum Kaisero convenit. At earum minutiarum ne vos taedesceret, ad adnotatiunculas, quae sub fine inveniuntur, vos reicere volui (5). Interea vero mecum carmina et argumenta et stilum dispiciatis velim.

Pleraque autem poemata quae illo volumine leguntur, sive quis poeta de magistratu cuiquam gratulatus est, seu patronum morte sibi abreptum doluit, ad occasiones igitur sunt pacta. Iam vero quarta fere omnium poematorum pars continetur epicediis iisque, ut vere fatear, non semper magni pretii. Poetis quidem, ut inventio facilis erat, ita elocutione parum successisse videtur. Saepius enim accidit ut defuerit iudicium verborum, ut euphoniae non satis invigilatum sit, ut normae metricae aut prosodiacae manifeste neglectae sint, nonnumquam etiam versus ab omni arte abhorruerint. Detur vero aliquatenus venia eis, quos extemporales poetas fuisse patet.

Leguntur porro carmina funebria et dicendi genere et numeris et animi commotionibus haud spernenda. Hieronymus enim Logan et Eleazar (quem dixi), alios mittam, non sine arte luxerunt, filiam alter, alter parochum. Utriusque igitur elegidii versus aliquot laudare me sine:

-Sis abrepta licet tenerum ceu frigore germen,
vita orbata prius quam videre frui,
at patris et matris duro praecordia tangit
ictu discessus, cara puella, tuus.

Non tulit eloquii certas aetatula vires
ut posses animi prodere sensa tui (...);
Fixos discedens torsisti, dulcis, ocellos
hisque patri visa es dicere "care, vale",
et tremula in caram flexisti lumina matrem
dicere quo posses "tu quoque, care, vale" (...).
Tu quoque, cara, vale, modo nata parentibus infans:
laetitiae et luctus causa perennis eris.

(vv. 1-6, 21-24, 27-28)

-Caelos tum scandes, ubi patria vera piorum;
praevis hanc patriam nunc tibi Iesus adit.
Illic vera quies, illic sine fine voluptas
gaudia et humanis non referenda sonis (vv. 21-24)

Reliquis autem in poematis, quae ad occasiones sunt pacta, insunt quae, cum Novi Orbis historiam illustrent mollesque modos exhibeant, legere haud indignum est; carmen enim quod nonagesimum evolvitur et de victoria quadam Nelsoni, classis praefecti insignis, agit, non invenuste conditum esse videtur. Leonardus autem Hoar de collegio Harvardiano pepigit, Iohannes Carey de quindecim civitatibus confoederatis, Gardner de scriptoribus qui in scholis legi suerant; quae carmina sunt quasi monumenta quaedam Americae historica vitamque inde aeternam hauriunt.

Nec spreverim, quod ad heroica attinet, Davidis cum Goliade pugnam quam Beniaminus Prime, tot poetas Neolatinos (quos dicunt) secutus, versibus cecinit (6):
Dixit et intorquens agili sinuamine fundam
proiecit lapidem; summis ita viribus actus
ille volans celeri liquidum secat aëra cursu
stridulus adversamque hosti ferit impete frontem,
atque per os crepitans sequitur mors ipsa lapillum
(vv. 105-9)

Deinde fieri non potuit quin poetae quid sibi de gente indigena Indorum videretur versibus traderent; qua in re, sicuti Romanis olim Germani, sic iis temporibus Americanis Indi nonnumquam opponebantur:

- Sunt etenim populi minimi sermonis et oris austeri, risusque parum saevique superbi, constricto nodis hirsuto crine sinistro, imparibus formis tondentes ordine villos, mollia magnanimae peragentes otia gentes (...)
- O gens Indorum, vos terque quaterque beati, nulla quibus requiem sollicitudo vetat! (7)

Versibus hexametris praestitisse mihi videtur Edmondus Griffin (1804-1830), quem etiam propterea commemoro quod de rebus Graecanicis - id est de argumentis in poesi Neolatina rarioribus - carmina composuit multumque ei rationi litterariae, cui romantismo *romantismus* est nomen, debuit:

- Graecia erat talis, sed gloria fugit inanis.
- Argutus cithararum cantus vallibus imis non resonat, sed servorum voces gemitusque (...).
- Posteritas hominum, quorum incluta facta celebrat, divinos nescit numeros sublimis Homeri(...).
- Campus Olympiacus, factorum ingentium arena quondam, pabula nunc praebet pecori petulanti(...).
- Advena cum lapsas spectat fractasque columnas, Cecropias, sed non viventes, cernit Athenas. (8)

Saturae vero rariores leguntur; digna tamen est quae ab oblivione vindicetur De monomachia sive duello satura, qua, auctore Ludovico Girardin, ineuntis saeculi XVIIIi mores depinguntur:

- (...) Inter genialis pocula Bacchi festivasque dapes et lautae gaudia cenae, cui simul accumbunt iuvenis carusque sodalis, ambo aetate pares, studiis communibus ambo devincti, ecce, mero venis turgentibus, atrox dissidium exsurgit, fervent convicia, primo saevit nuda manus, sed mox ignobile bellum cessat ut ingenuis indignum et fortibus; arma poscit Honos graviora: huic sola morte litandum!(9)

Denique et interpretationes illo volumine continentur. Etiam illud praeclarum opus, Francogallice conscriptum Telemachiasque inscriptum, Latinis versibus eleganter redditum est a Stephano Viel sacerdote.

Carminum varietatem facile inde colligere potes. Restat ut de arte pauca subiungam. Maior quidem pars carminum, si contenderis cum Italicis, Germanicis, Francogallis, iis vincti certo invenies. Nam, etsi Kaiser in praefatione (p. XVIII) asseveravit ea se carmina excerptis quae virtutibus litterariis praestarent, multa tamen in hoc libro insunt poemata quae vera arte careant. Quod quorsum spectat, iam paucis ostendam vobis. Ac primum quidem (praetereo errores prosodiacos) numeri saepe deficiunt vel quia pedibus excipiuntur vocabula, vel quia arses et accentus competunt; huc accedit quod in elisionibus modus nonnumquam non tenetur verbaque monosyllaba coacervantur:

- carm. 75,26: vīvitō, dīxī, nēc || sit brevis hora tua!
- 78,11: mūnērē nāmque implētō nōn tērrēstriā cūrāt
- 80,29: īn tērrīs licēt ōlīm pūlchrē splēndidūs ēssēt
- 80,9-10: Ungue etenim a tenero instructus

Graecisque Latinis

- litterulis fuerat, claruit ac genio
- 89,4: Tū quī sēmpēr scīs ignōbilē tēmnērē vulgūs.
- Deinde ieiunitatem quandam in verbis diiudicandis haud raro invenimus, ut puta in carmine 80:
- 80,13-14: Ac ideo potuit multos recitare poemum versiculos veterum, tempore quo voluit.

Denique et ipsae verborum structurae aures non semel offendunt:

- carm.4,8: non sic quae moriens scripta reliquit aiunt Quibus vitiis etiam si qua carmina carent, rarius tamen, paucis exceptis versibus, lumina illa ingenii et artis lectorum oculis offulgent splendidissima. Itaque, cum singulorum poetarum fetus propius aspexeris versusque legeris universos, ei viro docto plane assentieris, cuius haec sunt in praefatione verba: "Dixerit fortasse quispiam: cur tantopere laboras pro auctoribus istis Latinis, qui ad collegas Anglice scribentes si contuleris, apparebunt pumiliunculi nullam nec domi nec apud exteros famam adepti? Cui respondeo valere eos, immo valere multum, non quod litteras Americanas monumentis locupletaverint immortalibus, sed quia symbolum sunt et signum immortalis illius ingeniorum cultus, qui multa per saecula totum orbem occiduum educavit, ditavit et colligavit."(10)

D. Lovanio postrid. Non. Sext. MCMLXXXIV
Theodoricus SACRE.

ADNOTATIUNCULAE

(1) Videtis commentarios qui Humanistica Lovaniensia inscribuntur, 23 (1974), pp. 409-411.

(2) Videtis L.M. Kaiser, A Census of American Latin Verse, 1625-1825, Vigorniae Massachusetanorum, 1981.

(3) Huc accedunt C. Arrius Nurus, Jonhson, Callens, Colby compluresque interpretatores. His omnibus ingenio et arte praestitit Nurus, qui abhinc annos quinque e vita decessit.

Ne autem in patria Laurentii Viscido poetae (quem Iosephus Ijsewijn, professor Lovaniensis, in praefatione honoris causa nominavit) erretur; is enim Scylacio ex urbe Italiae oriundus, natione etiam Italus est. Quo vero tempore Novi Eboraci adulescentes Thusce et Latine erudit, poematorum libellum c.t.Poesis refugium (Novi Eboraci, 1983) foras dedit.

At hoc ipso anno 1984 ad Penates revertit.

(4) Cfr. ex. g. I. Ijsewijn-Jacobs, Latijnse poëzie van de twintigste eeuw, Lyrae Flandr., 1960, pp. 82-88.

(5) carm. 2,3: vagābundus: licentia metrica (at cfr. Dracontius in Laud. 1,259 (secundum recensionem Eugenii Toletani)).

5,25: lege lapidum

7,10: lege divos

9,6: malesuada coniecerim

18,12: lege gloria

26, 18: cancri emendarim (cfr. VERG. ecl. 10,68)

34,4: enim: error prosodiacus, et enim emendarim

34,20: iam habitare: hiatus vix ferendus

63,46: valuerē coniecerim

63,48: lacrimis emendarim

66,5: lege sublimem

76,3: lege Graeciam

78,3: illīc: fortasse retinendum(cfr.COMM.carm.apo135)

80,25: citabitur: error prosodiacus: fortasse: fortasse haudquē citabitur legendum.

83,3: Atlantiās: fortasse retinendum(cfr.Thes.poet.)

90,32: etiam|in: hiatus vix ferendus
 93,35: valē: posterior syllaba iam breviata est OV.
 trist.,1,8,21
 93,41: marmōr: error prosodiacus (nisi syllaba ante
 ictum producitur)
 101,4: Graecia/heu: hiatus inelegans
 103,45: pronus dubio procul praestat.
 (6) Ex.g. Aonius Palearius, De animorum immortalitate
 1,312-332

Marcus Marulus, Davidias, 1,335-498,
 Didacus Abad, Poema heroicum, 17,43-60
 (7) Guilēlmus Morell (ca. 1590-1626),1,64-68;
 Thomas Makin (1665-1733), 26, 65-66.
 (8) Carm. 102,26-28, 32-33, 42-43, 61-62.
 (9) Carm. 98, 83-91.
 (10) Iosephus Ijsewijn in praefatione, pp. VII-VIII.
 Théodoricus SACRE
 Lovaniensis

**DE IOACHIMO BELLAIO POETA LATINO
 ATQUE SUORUM IPSIUS CARMINUM INTERPRETE**

Quis ex Gallice loquentibus non novit, vel etiam memoria non custodit, illa carmina ab Ioachimo BELLAIO Gallice condita cum Romae exsul(ut sibi quidem videri dicere solebat) ex patriae desiderio laboraret? Fortasse tamen pauciores sunt qui sciunt illum "linguae Gallicae defensorem et illustratorem" eadem quoque versibus Latinis expressisse(prius an posterius non omnino exploratum habetur) ita ut suorum ipsius carminum interpretis videretur. Quid vero mirum est si adfectus suos latine eloqui voluit qui quondam confessus erat:

Gallica Musa mihi est, fateor, quod nupta marito,
 Pro Domina colitur Musa Latina mihi.

Sic igitur (dices) praefertur adultera nuptae?
 Illa quidem bella est, sed magis ista placet.

Deinde etiamsi Ioachimus noster Musam Latinam nunquam adhuc coluisset, nonne constat persaepe poetas exsules patrioque sermone carentes vernaculis linguis quamvis barbaricis cecinisse, teste Ovidio apud Getas:

Ah pudet et Getico scripsi sermone libellum

Structaque sunt nostris barbara verba modis,

Et placui (gratare mihi) coepique poetae

Inter inhumanos nomen habere Getas!

Bellaius autem quanto felicior fuit quam Ovidius, cum patruī clarissimi comes, non exsul, Romae in orbis (ut ait ipse) patria, non in extremis Ponti, versaretur, et Musam Latinam iamdiu familiarissimam, non Geticam alienissimam colere deberet.

Vobis documento sint hi pauci versus ex longiore carmine quod "Patriae Desiderium" inscribitur excerpti ita ut illi notissimo poemati Gallice scripto "Felix qui sicut Ulixes..." fere respondeant, ex qua comparatione spero perspici posse quam egregium utriusque Musae cultorem poeta noster se praebuerit:

Felix qui mores multorum vidit et urbes,

Sedibus et potuit consenuisse suis.

Quando erit ut notae fumantia culmina villae,

Et videam regni iugera parva mei?

Non septemgemi tangunt mea pectora colles,

Nec retinet sensus Thybridis unda meos.

Non mihi sunt cordi veterum monumenta Quiritum,

Nec statuae nec me picta tabella iuvat.

Utque nihil desit, nobis tamen omnia desunt,

Dum miseris noto non licet orbe frui.

Nec Ligeris ripas, saltus, silvasque comantes

Cernere, et Andini pingua culta soli.

Heureux qui comme Ulysse a fait un long voyage

Ou comme cestuy là qui conquit la toison,

Et puis est retourné plein d'usage et raison,

vivre entre ses parents le reste de son age!

Quand revoiray-je hélas de mon petit village

Fumer la cheminée, et en quelle saison

Revoiray-je le clos de ma pauvre maison,

Qui m'est une province et beaucoup d'avantage?

Plus me plaist le séjour qu'on basty mes ayeux

Que des palais Romains le front audacieux;

Plus que le marbre dur me plaist l'ardoise fine,

Plus mon Loyre Gaulois que le Thybre Latin,

Plus mon petit Lyré que le Mont Palatin,

Et plus que l'air marin la douceur Angevine.

Nunc si quis plura scire cupiat de Bellaii poematibus Latinis, eum hortari velim ut optimum librum pervoluet cuius haec est inscriptio:

"JOACHIM DU BELLAY-LES AMOURS DE FAUSTINE" Poésies latines traduites.. et publiées.. par Thierry SANDRE
 - BIBLIOTHEQUE DU HERISSON - Librairie Edgar MALFERE AMIENS 1923.

Georgius Andreas Bergère
 Parisiensis

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES
IOHANNES CAPELLE

Eximius certe Latinitatis Vivae fautor fuit Iohannes CAPELLE, anno 1983° vita defunctus, quippe qui esset motionis "VITAE LATINAE" conditor primusque praeses. Quare pro MELISSAE lectoribus Genovefa IMME illius viri vitae hic adumbrabit. Non pauci mirabuntur machinatorem, qui inter varia ad autocinetum pernotum 2 CV Citroën creandum operam dedit, etiam strenuissimum fuisse linguae Latinae promotorem...

Iohannes Capelle natus est anno 1909° in parvo vico, nomine Calès, in medio Petrocoriorum agro (Périgord), haud procul a Duranii fluminis ripis.

Iam a pueritia simul litteris (praecipue Latinis) et scientiis (praesertim mathematicis) studuit, quippe cui animus mensque esset omnium rerum curiosa, omnibus rebus aperta, in variis studiis mirabiliter librata. Postquam acceptus est discipulus in Lutetiana Fodinarum Schola (in qua futuri fodinarum machinatores doctores educantur), maluit hanc exceptionem neglegere, in eximiam "Scholam Normalem Superiorem" intrare (anno 1931°), quod professor fieri cupiebat. Agregationis ergo certamen in mathematicis vicit anno 1933° et deinde ad artes mechanicas se convertit; nam quemadmodum scientias cum litteris, sic scientias abstractas cum concretis concinne coniungebat, nullius bonae doctrinae expers.

Professoris cathedram obtinuit primam in claro collegio "Stanislas" dicto, dein investigationibus faciendis praepositus est in Centro Nationali CNRS inscripto.

Anno 1938° doctor laureatus factus est propter thesim "De rotis denticulatis concatenatisque". Fere statim ab officinae Citroën moderatoribus vocatus est, ut ibi machinator consultus fieret; duos annos hic versatus est et elateria eius popularis autoraedae, quae dicitur "2 CV", efficienda curavit. Anno 1940°, cum et magna officinae Citroën pars et tablinum ipsius Germanicis pyrobolis deletum esset, hoc munere amisso ad prius docendi munus rediit. Itaque mathematicas per duos quoque annos Tolosae in Lyceo Petro Fermat dicato discipulos docuit, dein (anno, ut liquet, 1942) cooptatus est universitarius professor Nancei (in Lotharinga) in scientificorum studiorum universitate. Huic muneri anno 1944 addidit moderationem Instituti Electronici in eadem urbe siti.

Anno 1947° primum extra Francogalliam officia sua protulit, cum Summus Instructionis Publicae Moderator crearetur ad cunctam Africam Occidentalem Francogallicam. In metropolitanum solum rediit anno 1949° atque inter Francogallos Studiorum Universitatum Rectores maxime iuvenis, cum annos 40 natus esset, magnificus Nanceiensis Universitatis rector creatus est. Ibi, anno 1950°, "Centrum Europaeum Universitarium" condidit. Illo quoque Nanceiensis recturae tempore "VITAE LATINAE" societatem condidit, quae curaret recentes notiones novis renovatisve antiquis verbis Latine exprimendas.

Anno autem 1954° in Africam rursus vocatus est ut magnificus Academiae A.O.F. rector fieret atque, cum Dacaricae sedem suam haberet, cum Leopoldo Sedare Senghor amico cooperavit ut homines ad humanum cultum

tus est

melius educarentur. Post triennium (anno 1957°) patriam metropolitanam repetiit, ubi Lugduni "Instituti Nationalis Scientiarum Applicatarum" auctor, conditor primusque moderator fuit.

Quadriennio peracto (1961) a Luciano Paye, Educationis Nationalis Administro, vocatus est in Ministerium ipsum, ut Director Generalis fieret scholasticis programmatibus instituendis. In hoc munere per triennium, dum administri commutantur atque Luciano Paye Petrus Sudreau, Petro Sudreau Aloysius Joxe, Aloysio Joxe Christianus Fouchet succedit, ipse permansit et studiorum programmata reformanda curavit. Ex hoc tamen munere, cum et reformationem vere democraticam cum demagogica studiorum vilitate confundi nollet, et simul sentiret se administrativis tricis negotiisque nimis occupari quam ut scientificas investigationes suas pergere posset, sua sponte se dimisit anno 1964°, *peracta* ut suam artium mechanicarum doctrinam instauraret in Universitate Nanceiensi.

Anno 1966° librum magni momenti edidit, cui titulus: "Futura schola etiam nunc creanda est" (vulgo: "L'Ecole de demain reste à faire").

Anno 1968° publica suffragia adiit et usque ad annum 1973 publicus legatus fuit regionis Duraniensis (Dordogne) et relator in Rerum humani cultus societatisque Consilio. Anno autem 1973° haec viri publici munera sua sponte reliquit et ad villam suam in vicum Sancti Aviti Domini (vulgo St Avit du Seigneur) haud procul a natali vico recessit, ut otio litterato senectutem suam daret, haud sane indignus Ciceronis Senecaeve imitator. Alium librum tunc edidit, cui titulus "Educatio et Politica", quo iterum moneret lectores veram democratiam educationis minime adsimilandam esse demagogiae.

Anno 1976° summo Francogallorum honore donatus est, cum ad summum Honorabilis Legionis gradum efferretur (Commandeur de la Légion d'Honneur).

Anno 1983° defunctus est vita in omnium bonarum artium sive scientificarum sive Latinarum defensione *peracta* promotioneque animose victa.

Ad hanc biographiam concludendam nihil aptius videtur quam verba ipsa quibus Iohannes Capelle orationem quandam anno 1976° peroravit: Nam, postquam hoc proverbium memoravit: "Si arborem unam conserveris, si domum unam aedificaveris, si filium unum educaveris, vita tua recte acta erit", confirmavit se et "filium educavisse" quod discipulos educavisset, et "domum aedificavisse" quod Studiorum Universitates Institutaque alia erexisset Dacaricae Lugdunisque, atque addidit sibi hoc unum restare ut "arborem consereret" rusticaeque vitae otium suum dicaret ita ut adsidue utilis esset; his rebus perfectis, sibi quoque licitum dicere "NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM"; Latine haec biblica verba citavit... Etenim die 29° mensis Maii 1983 Deus dimisit servum suum, hominem plene humanum, hominibus Renascentiae temporis similem, cuius vita redundaverat officiis maxime variis: rebus administrativis et liberalibus investigationibus, cultu scientiarum et cultu litterarum. Ei ergo requiescere licebat!

Genovefa IMME

TERTIUM SEMINARIUM VESTENDENSE

habebitur iisdem in aedibus "Zon en Zee" a die 17° in diem 24um m. Augusti a° 1985°.

Dr. P. Caelestis EICHENSEER sua solita methodo iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum. Cum participes ex multis regionibus convenire solent, facile percipitur quantum valeat lingua Latina ad commercium inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Invitantur universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli, qui per nonnullos annos linguae Latinae discendae iam studuerunt.

Invitantur magistri magistraeque linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscunt, id quod plerisque maximo gaudio et utilitati est. Ceteris sunt optimum exemplum.

Invitantur etiam omnes qui linguam Latinam colunt et censeant illam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Inter colloquiorum Latinorum exercitationes et verborum recentiorum explicationes, participibus licebit frui litoris amoenitate et ludicris actuositatibus, quae in ipsis aedibus proponuntur, ut tēniludus, natatio (sub tecto vel sub divo)...


Notandum est aedes "Zon en Zee" aptas esse ad familias per ferias accipiendas. Quare participes sine molestia familiam secum adducere possunt. Familiae pars, quae sessiones Latinas non participat, ludicra vel athletica otiose exercere potest.

Excursio unius diei fiet ad Ypram et Damnam invisendam, Paulo Elsen mystagogo Latine ducente.

De pretio nihil certi nuntiare possumus ante initium proximi anni. Vix tamen mutabitur, id est circiter 800 frsB cottidie pro hospitio, alimonia usuque ludorum athleticorum.

LATEIN AKTIV

Lateinisch sprechen und diskutieren



L

Langenscheidt

Hic libellus perutilis, quem conscripsit Dr. P. Caelestis Eichenseer, modo in lucem editus est. Optamus ut mox etiam praebeantur translationes in alios sermones

QUAE A MELISSA PETI POSSUNT

VENEUNT APUD "MELISSAM"

- FOLIA LATINA, quibus index "MELISSA", secundo quoque mense edita;

Pro annua subnotatione solvendi sunt :

- in Belgio, 200 franci Belgici
- extra Belgium, 400 franci Belgici

- OPUS CINEMATOGRAPHICUM, e comoedia Plautina cui index "RUDENS", in videocasetis, generis "V.H.S." vel "Betamax" vel "Video 2000" eisque systematis PAL Cuiuscumque generis videocaseta cum textus libello venundatur 4900 francis Belgicis.

Cum iam videocasetae expetitae sunt etiam ex longinquis regionibus, velut America et Nova Caledonia, monere debemus haec :

- videocasetae systematis Francogallici SECAM etiam peti possunt, sed earum pretium maius est, id est 6000 franci Belgici

- videocasetae generis Americani N.I.S.C. etiam peti possunt, sed earum pretium est 11 000 franci Belgici

- Ad videocasetarum pretium accedunt expensae cursuales. Etiam exstat phonocaseta cum libello, cuius pretium est 550 franci Belgici.

Quae res peti possunt a sede MELISSAE,
Av. de Iervueren, 76, Iervurenlaan -1040 Bruxellis - BELGIUM

Pecuniae mittantur ad sedem nummariam, quae est h
Argentaria Bruxellensis : B.B.L.
Computus: LICOPPE - MELISSA 310-4209741-27